

dette, e bisognando, di denunciarli al suo Tribunale, e castighi li stessi Parochi, quando in ciò manchino.

XIV. Intimi la medesima vigilanza, ed attenzione alli Superiori Regolari per le Chiese loro, ed in caso di contravvenzione, o negligenza, oltre gli altri remedi, prescritti da' Sacri Canonici, ne dia parte a questa Sacra Congregazione, che punirà i medesimi Superiori, anco con la privazione dei loro uffizj, ed altre pene più gravi.

Confida la Santità di Nostro Signore, che hasterà questo semplice eccitamento al zelo di V. S. per animarla a compire esattamente in questa parte al suo debito Pastorale, per non essere incolpata al tribunale di Dio di aver taciuto, quando conveniva alzar la voce, e la mano contro i profanatori del Santuario, e che però sarà ella per impiegare ogni studio a fine di provvedere ad un disordine sì importante, e sì scandaloso, che in realtà ferisce il paterno cuore della Santità sua, la quale è risoluta di fare quanto è possibile dal canto suo, acciocchè si tolga questa abbinazione dal Luogo sacro, e che la nostra Italia, in cui risiede il capo visibile della Chiesa, ed è posta come sotto i suoi occhi, possa anco in questa materia del rispetto alle Chiese servire di esempio a tutte l'altre Nazioni del Cristianesimo, ed in tal maniera preservarsi da que' flagelli, che per castigo delle nostre colpe pur troppo ci vengono presentemente minacciati dalla Divina Giustizia.

Roma 26 Luglio 1701.

G. CARDINAL DI CARPEGNA PREFETTO.

G. D. Parracciani Prosecretario.

(49. Ludi theatrales etiam prætextu consuetudinis in Ecclesiis, vel per Clericos fieri non debent; cap. Cum decorem 12. de Vita et honestate Clericorum, Conc. Toletan. 22. cap. 19.

(50. Nec in Ecclesiis fieri possunt Repræsentationes, seu Comædiæ, quæcumque illæ sint, profanæ, vel sacræ, et permittentes puniendi sunt. Sic expresse cit. Conc. Toletan. 22. cap. 19. et concordat cit. cap. Cum decorem. Et tenent Marian. Specul. cap. 7. Zerola in Prax. Episc. p. 1. verb. Repræsentationes, et alii citati et secuti ab Ursaya Institut. Criminal. lib. 3. tit. 4. num. 29. Nicolius Lucubrat. Canonic. lib. 3. tit. 1. n. 27. Monacell. tom. 4. supplem. ad tom. 2. num. 207. et alii passim.

(51. An autem in Ecclesiis fieri possint Repræsentationes devotæ, et rerum piarum, puta solemnitatum Mysteriorum Fidei, Passionis Domini, Vitæ alicujus Sancti, etc? Affirmant Barbosa in cap. Cum decorem num. 6. Bellet. Disquisit. Cleric. part. 1. § 23, num. 10. Cohell. ad Bull. bon. reg. cap. 40, num. 8. Ursaya loc. cit. num. 29. per text. in cit. Concil. Toletano 22. cap. 19. ibi: « Per hoc tamen honestas Repræsentationes, et devotas, quæ populum ad devotionem movent, tam in præfatis diebus, quam in aliis non intendimus prohibere. » Sicque tales Re-

præsentationes, dicunt ipsi, conducunt homines potius ad compunctionem, quam ad lasciviam, seu voluptatem. Negant autem Monacell. loc. cit. n. 207. Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 14. cap. 8, num. 9. Nicolius loc. citat. num. 27. verb. Amplia, ubi sic expresse habet: « Amplia, ut neque piæ Repræsentationes, puta Passionis Domini, vel Sanctorum, permittendæ sint in Ecclesiis. » Unde Sacra Congr. similes licentias concedere solet cum infrascriptis conditionibus, I. Quod fiant extra Ecclesiam. II. A Sacerdotibus, vel Clericis, aut aliis piis Viris. III. De die, non de nocte. IV. Opus autem revisum et approbatum fuerit ab Ordinario, qui non permittat ibi apocrypha misceri. V. Totumque fiat sine scandalo, et cum edificatione populorum. Sacra Congregat. in Reatina 20 Januar. 1579. in Nolana 28 Aprilis, in Assisiensi 18 Martii 1603. Quare, cum scandala timentur, debent prohiberi. Sac. Congreg. in Viterbiensi 3 Aprilis 1582. Et nullibi fieri sine licentia Episcopi; Sacra Congregatio Concilii in una Bracharen. Hactenus ille. (50. Unde ad conciliandas prædictas opiniones concludendum est, quod Repræsentationes piæ ac devotæ possint quidem fieri in Ecclesiis, sed cum licentia, et approbatione Episcopi. Secus autem, non.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(52. Agere hic non esset incongruum de juribus honorificis, quæ in Ecclesia Laicis præstari solent. At longiores sane essemus, quam patiuntur limites additionum. Satis sit indicare, qui de ipsis disserunt Auctores. Vide itaque Franciscum de Roye de Juribus Honorificis in Ecclesia. Clausit Auctor hic totam tractationem duobus libris. Primi libri tredecim sunt capita. Caput I ita conceptum est: Quid sit honor, in quibus consistat. Quid sint jura honorifica. Eorum divisio. Methodus istius tractatus. Cap. II. In quibus Locis reddantur illi Honores. Cap. III. A quibus præsentantur illi honores. An Laicis deberi possint. Cap. IV. Honor præsentationis, et alimentorum ex bonis Ecclesiæ. Cap. V. Honor Thuris, aut suffitus. Cap. VI. Honor precum. Cap. VII. Honor processionis. Cap. VIII. Honor Listræ. Cap. IX. Honor sepulturæ. Cap. X. Honor Sedis. Cap. XI. De Ordine Sedilium, et qui ea disponant. Cap. XII. Honor panis benedicti. Cap. XIII. Osculum Pacis, et Aqua benedicta. Quindecim vero sunt capita secundi libri. Cap. I. Ex quibus rationibus aut principiis Honores in Ecclesia deferuntur: Quædam Catholica ad hunc tractatum. Cap. II. Principibus omnes illi Honores debentur. Cap. III. Fundatoribus debentur omnes illi Honores. Cap. IV. De Senioribus Locorum, qui omnimodam jurisdictionem habent, et in ea positam Ecclesiam. Quinam iis Honores in ea debeantur. Cap. V. De iis Senioribus, qui mediam habent justitiam. Cap. VI. De iis, qui bassam seu inferiorem justitiam habent, et fundum in quo constructa sit Ecclesia. Cap. VII. De Benefactoribus. Cap. VIII. De Magistratibus Regiis ejus Territorii, in quo posita sit Eccle-

sia. Cap. IX. De nobilibus, qui manent in eadem Paræcia. Cap. X. An simplices Nobiles in iis honoribus Ecclesiæ præferantur Judicibus Seniorum Paræciæ. Cap. XI. De Plebeis, qui vel Juspatronatus, vel Senioratum, vel aliquod Feudum habent. Cap. XII. De Successoribus. Cap. XIII. An singularis successor possit tollere Auctorem suorum listras, et suas reponere. Cap. XIV. De Mulieribus. Cap. XV. Ubi, et quomodo de iis honoribus agendum.

(53. 55. Confer itidem Héricourt in Legibus Ecclesiasticis suo ordini restitutus part 3, c. 9, per tot. tum et maxime Rousseau de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica verb. Jura Honorifica. Quod si specialem de juribus honorificis Patronorum desideres tractatum, adi et Michaellem de Perroy de Juribus honorificis, tum utilibus Patronorum.

ARTICULUS VI.

EX EDITIONE ROMANA.

Ecclesia quoad ejus naturam, status varios, Prærogativas ac regiminis formam.

(1. Ecclesia a græca voce ἐκκλησία originem trahit; quæ vox latine idem sonat ac evoco, congrego. Itaque juxta grammaticalem significationem idem Ecclesia est ac evocatio. (2. In generali hac acceptione passim Ecclesiæ vocabulum usurpatur in Scripturis ad significandam civilem ac politicam hominum congregationem: quo quidem in sensu Psal. 25, vers. 5, legitur: Odivi Ecclesiam malignantium; et Ps. 106, vers. 32. Exaltem eum in Ecclesia plebis. (3. Quandoque Ecclesia cum in veteri, cum in novo Testamento locum designat, in quem homines divini cultus causa conveniant; Ita Judith. 6, v. 21, et 1. ad Corint. v. 18 et 22. (4. Proprie vero atque usu ecclesiastico Ecclesia usurpatur ad fidelium societatem designandam. Quo sensu Apostolus Paulus ad Rom. 16, v. 16. ait: Salutant vos Ecclesiæ Christi: et versu 23. Salutatio vox Cæsar hospes meus, et universa Ecclesia. (5. Atque hæc postrema, stricta et propria significatio est vocabuli Ecclesia, quod societatem seu cælum vocatorum exprimit; cum nemo ad hunc populum se adjungat, per se et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt a Dei vocatione præveniuntur. (6. Hinc Hieronymus Comment. in cap. 5. Proverb. et Augustinus in Psal. 81. observant, Ecclesiæ nomen apte designare societatem fidelium novi Testamenti, atque hanc a cœtu fidelium veteris Testamenti secernere, qui Synagoga dicebatur. En Hieronymi verba: « Ecclesia et Synagoga, inquit, græca nomina sunt et unam eandemque rem latine significant; id est, conventum plurimorum ad invicem. Si autem subtilius distinguantur, Ecclesia convocatio, et Synagoga congregatio interpretatur; et vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur: nunc autem gratia distinctionis, ille Synagoga, noster Ecclesia dicitur, merito scilicet fidei et scientiæ majoris: quia et irrationabilis creatura potest congregari. »

(7. Duplici autem modo Deus hominem vocat, scilicet interius per gratiam, et exte-

rius per verbum, sive per revelationem, qua verum ac gratum ipsi cultum demonstrat, qua viam salutis ostendit, et necessaria media suggerit ad lapsum hominem reparandum, et ad æternam salutem obtinendam. (8. Cum Ecclesia congregatio hominum sit, qui recta fide, ac demonstrata a Deo ratione Deum colunt, ac tuta via ad æternam salutem pervenire contendunt, manifestum est non sufficere interiorem vocationem, sed exteriorem quoque necessariam esse, ut ea fidelium societas habeatur quæ Ecclesia dicitur: nam vocatorum societas a fide incipit, quæ sine auditu non habetur; auditus autem deest, ubi verbum Dei non adsit exterius promulgatum, uti docet Apostolus Paulus. (9. Rursus hæc societas convenire debet in exhibendo Deo verum, ipsique acceptum cultum, et in adhibendo præscripta a Deo remedia pro lapsus reparatione, ac pro æterna salute comparanda. Id vero fieri nequit nisi per externam fidei professionem, per externum cultum, ac per externum Sacramentorum usum, ut consideranti patet.

(10. Itaque solus Deus auctor et causa princeps est Ecclesiæ; quia solius Dei est homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, et salutis per gloriam; et solius Dei est præscribere Ecclesiæ media necessaria, tum ad gratiam cum ad gloriam obtinendam. (11. Homines vero causæ meræ ministeriales esse possunt, dum scilicet eorum Deus utatur ministerio ad ostendendum hominibus, quæ manifestare ipse voluerit, ad media proponenda necessaria ad gratiam et gloriam comparandam, atque ad alia explicanda et inculcanda, quibus Ecclesiam regi voluerit.

(12. Hæc de Ecclesia militante generatim sumpta (de aliis siquidem Ecclesiis satis dictum arbitror ab Auctore). Venio nunc ad Ecclesiam Christi. (13. Hæc duplici ratione considerari potest, scilicet secundum latam, et secundum strictam significationem. (14. Priori modo societatem designat Fidelium, qui in Christum crediderint, præscindendo ab explicata vel implicita fide, a Christo sive nascituro vel nato, morituro vel mortuo: Posteriori modo societas est hominum, qui fidem habent in Christum jam natum, et passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ Sacramentis, et mysteriis.

(15. Ecclesia Christi priori modo accepta non tantum natalem Christi antecessit, sed etiam ita floruit tempore legis naturæ et scriptæ, ut tunc temporis veros exstitisse Christi cultores merito asseri possit. Audiat Augustinus Epistola 190, quæ est ad Optatum cap. 2, num. 8. « Profecto, inquit, quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam; ita et in regno vitæ, nemo sine Christo. » Atque alibi passim tradit idem Sanctus De-

etor, neminem post Adami peccatum salvari potuisse, nisi per fidem in Christum; et concione 6, in *Psal.* 36, quotquot fuerunt justi caput Christum habere scripsit: « Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos, ut esset et ipse totius caput civitatis Hierusalem. » Itaque qui fidem in Christum professi sunt, et per hanc fidem salutem sunt consecuti, hi ad Ecclesiam Christianam pertinere, atque Christianæ religionis cultores asserti merito possunt; quotquot vero fuere justi cum in lege Moysis, tum in statu legis naturæ, per fidem in Christum venturum salvi facti sunt, atque hac unice ratione justitiam et sanctitatem consequi potuerunt; fuere ergo omnes Christianæ Religionis cultores. Nec sola id Augustini auctoritate evincitur, sed etiam argumento illo theologico ex sacris litteris petito, quo ostenditur, per solam fidem in Christum mediatorem Deum inter et hominem, salvos fieri potuisse homines post Adami lapsum: Auctoritate Tertulliani lib. de *Resurrectione carnis* cap. 6, asserentis, ab ipsa hominis formatione Christum primum ac maximum fuisse fidei, et Religionis subjectum; auctoritate Eusebii Cæsariensis, qui lib. 1, *Demonstrat. Evang.* c. 5, ait, Christum notum fuisse Moysi, et antiquis Patriarchis, atque hos non Judaico, sed Christiano more vixisse, ut scribit lib. 6; auctoritate denique Gregorii Magni, qui *Homilia* 19, in *Evangelia* sub vineæ parabola universalem exprimens Ecclesiam, hanc ab Abel justo cœpisse ait, usque ad ultimum electum duraturam, qui in fine mundi nasciturus sit.

(16. Ad initium vero quod spectat hujus Ecclesiæ, facile intelligere est, statim post Adami lapsum repetendum esse. Tunc enim Deus revelatione, sive verbo suo, humano generi demonstravit sola fide venturi Redemptoris, ac gratia ex ipsius mediatione expectanda, potuisse homines a peccato surgere, ac æternam salutem obtinere. (17. Non est autem qui non videat in hujusmodi revelatione generalem illam vocationem, qua homines per fidem in Christum ad societatem ineundam, et Ecclesiam constituendam, invitabantur. Quamobrem dubitari non posse videtur, quin hoc in sensu Christi Ecclesia statim post Adami lapsum inceperit.

(18. Augustino tamen enarratione in *Psal.* 141, Gregorio Magno loco supra a nobis citato, et quamplurimis Theologis placuit, Christianæ Ecclesiæ exordium ab ipso Abel repetere; tum quia Scriptura primum Abel excelluisse asserat in publica fidei protestatione, sine qua visibilis Ecclesia non consistit; tum quia conveniens ac consentaneum videtur, ut Ecclesia quam sanctam in Symbolo profitemur ab eo inciperet, in quo primum inter homines sanctitas, et innocentia sine interruptione perseveravit, in signum sanctitatis, quæ numquam in Ecclesia Christi defectura esset; tum demum, quia tunc Dei Ecclesia palam a societate malignantium secerni cœpit; sacrificii scilicet oblatione, in

qua fidei illa protestatio enituit, quæ in Caini sacrificio desiderabatur.

(19. Antequam exponam quid sit Christi Ecclesia stricte sumpta, et quænam ipsius notæ atque prærogativæ, paucis investigandum censeo, quænam fuerit divinæ providentiæ cura in regenda Ecclesia in statu legis naturæ, et in statu legis scriptæ. Neque enim dubitari potest de divinæ providentiæ cura in servanda atque regenda Ecclesia a se constituta; Deus enim sapientissimus cum sit atque optimus, opus quod perfecit, providentiæ sua conservare, custodire ac regere debet. Itaque qui Ecclesiam fundavit, quæ ad finem usque Mundi sit duratura, necesse est, ut eandem Ecclesiam providentiæ sua rexerit semper, atque nunc regat. (20. In lege autem naturæ eadem, qua revelatam religionem docendo Ecclesiam fundaverat, providentiæ, eandem conservavit et rexit. Nam quæ credenda, quæque agenda hominibus essent, ut recta fide ac puro cultu viam salutis homines sectarentur, vel per se ipsum visibiliter apparendo, vel per Angelos, quos sui ministros adhibuerit, vel per homines spiritu prophetico, ac divinæ legationis characteribus donatos, demonstravit. Iis enim modis supernam religionem Deus hominibus revelavit, eosque in illam vocavit societatem, quæ Ecclesia dicitur, ut de revelationis necessitate, adversus Deistas disputaturi fusius disseremus. (21. Quis vero ignorat, hac Deum ratione Ecclesiam rexisse suam statu legis naturæ? Ab Adamo enim ad Mosem usque, vix unam percurrere est generationem, in qua Deus Patriarchis non apparuerit, aut cœlestes suos ministros Angelos ad eosdem non miserit, ut legenti Geneseos librum manifestum est. (22. Plures deinde fuere viri spiritu prophetico insigniti, atque ea morum probitate, iisque signis muniti, quibus divinam suam legationem populo demonstrarent. Vivo enim adhuc Adamo, prophetavit Enoc, qui divinitus raptus fuit ne videret mortem; propheta quoque fuit Nohemus, atque, ut alios omittam, eundem habuere spiritum Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus. Quorsum vero Deus Patriarchis illis apparuit, Angelos ad eosdem misit, ac Prophetarum ad homines legatione usus est, nisi ut in Ecclesia sua fidem, quam necessariam demonstraverat, in futurum Reparatorem divinum quem præscripserat cultum ac reliqua ad salutem necessaria opera, foveret atque inculcaret? (23. Itaque in lege naturæ Deus Ecclesiam suam per se, vel per ministros a se missos regulavit non solum eam fidem inculcando, quæ Religionem regeret, sed alia quoque præcipiendo, vetando, aut instituendo, quæ ad eundem finem spectarent. Nam Nohemo, Abrahamo, Jacobo, aliisque sacrificare jussit, ac Sacrificii genus præscripsit. Per Nohemum abstinentiam a sanguine inter suffocato imperavit, quo facilius homines ab homicidiis avocaret; et per Abrahamum Circumcisionem instituit in signum initi fœderis, in memoriam promissionum, quas Abrahamo ejusque posteris fecerat, et ut gens, ex qua promissus humani

generis Reparator nasciturus erat, ab aliis secerneretur.

(24. In statu quoque legis scriptæ eadem providentiæ enituit, etsi novam quoque curam in stabilienda, et regenda Hebræorum Republica adhibuit. Nam per Mosem, quem legatum adhibuit, dum legem dedit, iis characteribus, ac tanto prodigiorum apparatu munitum, ut nemo de divina istius legatione dubitare possit, legem promulgavit, in qua Reipublicæ Judaicæ forma, ac civiles leges præscribuntur; Sacrificia et cæremoniæ designantur, quæ cum figuræ essent futuri Messia, et eorum, quæ ad ipsum pertinerent, in memoriam revocando divinas promissiones, fovebant ac fortius excitabant futuri Reparatoris fidem; ac tribunalia stabilivit, in quibus ortæ circa præcepta, cæremoniæ, et legem controversiæ finirentur. (25. Ut autem constet, qua ratione juxta Dei providentiæ finirentur in Hebræorum Republica controversiæ Religionis, placet hic verba recensere, quibus Deus tribunal majus, quod Sanedrim vel Concilium seniorum vocabatur, instituendum præcepit, ac munia hujus Concilii circa controversiarum definitionem explicare. Num. 11, v. 16 et seq. dixit Dominus ad Moysen: « Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri, et duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis: ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris. » (26. Constat autem ex l. 2. *Paralip.* c. 19, v. 10, delatas ad hujusmodi Judices fuisse causas *De Lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus.* Porro manifestum est mandata et justificationes fidei in venturum Messiam inclusisse: et cum ibidem v. 11, dicatur: *Amarias autem Sacerdos Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit, palam est, in illo Tribunali ubi summus Sacerdos, et Pontifex præsidebat controversias de religione definitas fuisse, cum certum sit has ad Deum pertinere. (27. Hujusmodi autem definitionibus acquiescere populum debuisset, tum ex eo constat, quod Deus spiritum suum Judicibus illis pollicitus esset, ut Numer. verba superius indicata designant; tum etiam ex iis, quæ habentur *Deuter.* 17, v. 8: *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsumunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbia erit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto Judicis, morietur homo ille.**

(28. Vides ergo, id peculiare fuisse in Dei erga Ecclesiam legis scriptæ providentiæ, ut per sacrificia et cæremoniæ fidem in ventu-

rum Messiam excitaret, et ut Judices instituti essent, qui divino assistente Spiritu exortas de revelatione controversias definirent. (29. At in ea quoque perseveravit, atque ad Christi usque adventum perduravit singularis illa cura, qua per viros prophetas divino spiritu incitatos necessariam fidem inculcasset, ac monita salutis exhiberet. (30. Constat enim cum ex sacris libris tum ex traditione ipsa floruisse semper in Hebræorum republica prophetas, quorum nonnulli literis aliquot opera consignavere, alii vero ore tantum monita et prophetias tradidere. Miso vero horum catalogo, ne nimis longi simus, sat est innuere, paulo ante Christi natiuitatem Zachariam floruisse Joannis Baptistæ Patrem, ac nato Christo prophetasse Simeonem, atque ejusdem Christi Præcursorem Joannem Baptistam. Hanc Dei erga suam Ecclesiam œconomiam paucis descripsit Paulus in ea, quæ est ad Hebræos, epistola, dum ait: *Multifariam multisque modis olim Deum loquutum fuisse Patribus in Prophetis.* Dum vero subdit, *Novissime vero diebus istis loquutus est nobis in Filio,* perfectam et fundatam a Christo Ecclesiam designat. (31. Atque hæc Ecclesia est quæ per strictam significationem proprie Christi Ecclesia nuncupatur. De hac autem dicturi, primum Novatorum circa illius definitionem hæreses designabimus; notas deinde indicabimus, quibus perspicua fit; ac demum regiminis formam, ejusque jura, et prærogativas tuebimur.

(32. Ad Novatores quod spectat, Nestoriani, Monophysitæ, sive Syri, sive Copti, sive Armeni, ac Græci Photii Schismati adhærentes, Ecclesiam Christi visibilem adstruunt, sacros ministros ex divina ordinatione in eadem agnoscunt a plebe distinctos, atque Hierarchiam inter hos reperiri fatentur, in qua Episcopus Presbyteris superiores agnoscunt. At negant Romanum Pontificem Petri successorem divino jure caput ac Principem constitutum esse totius Ecclesiæ. Hoc scilicet errore eludere contendunt latas in ipsos, eorumque hæreses, per Apostolicam Sedem sententias, atque Schismatis notam declinare.

(33. Reliqui vero Novatores, quo facilius possent Ecclesiæ iudicium contemnere, atque a Schismate sese purgare, invisibilem esse veram Christi Ecclesiam tradidere, cujus scilicet caput Christum sit, membra vero, vel ii homines, qui perfectione virtutum Christum imitentur, ut Pelagiani; vel qui probi essent et a graviore saltem crimine alieni, ut Donatistæ; vel qui essent a Deo prædestinati, ac per prædestinationem Christo conjuncti, ut Wiclefus, et Johannes Hus, Bucerus, et ex Calvinianis quamplures: vel qui per fidem et charitatem Christo uniantur, ut Lutherus, Melancthon, Brentius, et Claudius, apud Calvini discipulos Parisienses olim Minister, ac Protestantes fere omnes, de vera Christi Ecclesia loquentes. Nam eorum plerique distinguunt inter veram et internam, atque externam et apparentem Ecclesiam, illam invisibilem modo

explicato, hanc vero visibilem adstruunt. (34. Sed turpissime errant in notis designandis, quibus aeterna haec et invisibilis Ecclesia discernitur. Etenim per Dei Ecclesiae notam veram doctrinam et Sacramentorum usum designant, ita ut ad externam Ecclesiam omnino pertineant ii omnes, qui in vera doctrina profitenda, et in iisdem Sacramentis participandis conveniant; distinguentes vero inter articulos fundamentales, et non fundamentales, omnes illas sectas ad Ecclesiam pertinere contendunt, quae in adstruendis articulis fundamentalibus conveniant. (35. Quo argumento ductus Jurieus Calvinianae sectae Minister, eo devenit in tractatu, quem scripsit de unitate Ecclesiae, ut contenderet omnes Christiani nominis sectas ad Christi Ecclesiam pertinere. (36. Ac fuere Novatores nonnulli, qui veriti non sunt affirmare, eorum sectas ab antiquis haereticis, qui Apostolico saeculo vixerunt, originem trahere, ut eorum in Christi Ecclesia a primis exordiis successionem ostenderent. (37. Haec autem deliria sunt, quae vel ipsa narratio refellit. Quem enim Christianum hominem non pudeat in propriae causae praesidium Gnosticos et Ebionitas afferre, ac horum se successorem praedicare, qui ab Apostolis veluti ethnici et Publicani ex Ecclesiae sinu fuere dejecti? Vel Cerdonis, Valentini, Marcionis, aliorumque hujus furfuris Nebulonum se successorem esse, cum constet hos ab Apostolicis viris ab Ecclesiae communione avulsos fuisse, ac veluti Diaboli ministros damnatos; ut legere est apud Irenaeum, Eusebium, Augustinum, aliosque Patres, qui de haeresibus scripserunt.

(38. Samuel Puffendorffius in opere inscripto de *Habitu religionis Christianae ad vitam Civilem*, quem sequuntur Bohemerus, Pfaffius, et Lutherorum ac protestantium plerique, contendit, Ecclesiam non esse Statum, aut Republicam, sed societatem in Statu ex Doctoribus et Auditoribus conflata, et veluti Collegium in Republica. Quod Collegium jus deputandi personas particulares habet ad sacrum ministerium, et praescribendi per conventiones et pacta regulas divini cultus. Quamobrem omnes Christianos ex Christi institutione aequalis auctoritatis esse contendit; Pastores vero atque Ecclesiae ministros, ex sola plebis deputatione constitui, atque hos non majorem habere auctoritatem, quam quae per pacta ab ipso Fidelium Collegio eisdem concessa sit. Atque hanc auctoritatem imperio Principum saecularium subjectam esse, qui ut reliquis Collegiis, ita Christi Ecclesiae suprema potestate praesunt et dominantur. (39. Addere iis possumus Edmundi Richerii circa Christi Ecclesiam

(1) Richerium potissimum, post Duvallium et Petavium, strenue refellerunt cl. Mamachus in epistolis adversus J. Febronium et Laurentius Veith Augustani Lycei ornamentum in egregio libello Augustae Vindellicorum 1783 excuso, cui titulus: *Edmundi Richerii Doctoris Parisini systema de Ecclesiastica, et Politica potestate singulari dissertatione consultatum*. Pro Ecclesiae vero potestate tuenda egregie scripsit Pater Jo. Ant. Bianchi Ord. Minorum

errores, qui toti Ecclesiae sive Coetae Fidelium clavium potestatem a Christo collatam finxit, Petro vero, Apostolis et Episcopis instrumentaliter et ministerialiter tantum, seu quoad executionem. Quamobrem Episcopos non Christi, sed Christianae plebis ministros efficit, ac non superiores, sed subditos ejusdem. (40. Suspectus quoque est Launoius, qui in Epistola ad Nicolaum Gatinæum Catholicorum de Ecclesia definitionem reprehendit, quod mentio in ea occurrat Pastorum, quibus Ecclesia regitur, et praesertim Romani Pontificis.

(41. Haecenus haereses recensuimus, quae orthodoxo de Christi Ecclesia systemati adversantur. Has vero haereses confutavere professo ac solidis argumentis Benignus Bossuet, tum in Historia variationum Ecclesiarum Protestantium, tum in operibus adversus Claudium exaratis; Honoratus Tournely in praefect. Theolog. de Ecclesia Christi, alique Theolog. (1). (42. Cui adde Chartasium de *Libertatibus Ecclesiae Gallicanae*. De auctoritate vero Romani Pontificis consuli poterunt opera Eminentissimi Augustini Orsi, typis Congregationis de Prop. Fide sub Clem. XII evulgata (2).

(43. Nos vero recensitas haereses paucis confutaturi, ostendemus: Primo veram Christi Ecclesiam esse visibilem; Secundo veras et perspicuas notas habere, quibus dignoscitur, et non solum ab iis, qui Christiani non sint, sed etiam ab Haereticorum, sive a falsis Christianorum sectis, secernitur: Tertio hanc sinu suo complecti non solum praedestinos et justos, sed etiam peccatores, excludere vero a sua communione haereticos, schismaticos, atque excommunicatos vitandos: Quarto esse indefectibilem, et in definiendis morum et fidei controversiis infallibilem: Quinto constare ex plebe et Ecclesiae ministris, qui ex divina institutione a plebe secernuntur, atque inter hos reperiri Episcopos jure divino Presbyteris Superiores, et Romanum Pontificem eodem jure totius Ecclesiae caput et Principem: Sexto denique, potestatem regendi Ecclesiam, ac finiendi controversias circa religionem infallibili judicio concessam esse pastoribus sive Episcopis, ac praesertim Romano Pontifici, cui inerrantiae privilegium in Petri persona promissum a Christo Domino fuit. Atque his positis, veram Christi Ecclesiae definitionem exponemus.

(44. I. *Ecclesia Christi visibilis est*. Principio autem cum Novatoribus statuo, Ecclesiam Christi esse societatem illam, cui credita sunt eloquia Dei, sive depositum divinæ revelationis, quo media necessaria ad salutem, et quid credendum, quidve agen-

rum in opere Italice scripto, cujus titulus est: *La Polizia della Chiesa contro le nuove massime di Pietro Giannone*. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Ac postea recusa: Franciscum Antonium de Simeonibus in praefato adversus Dupinium opere de *judiciali Romani Pontificis potestate*, Ballerini de *vi Primatus*, Zaccariam in utroque Antifebronio cum Italico, tum Latino, aliosque, qui Febronium confutaverunt. (EDIT. BARB.)

cum sit, demonstratur, ut certo nobis pateat via salutis. (45. Statuo secundo cum iisdem Novatoribus, extra hujusmodi societatem nullam esse spem aeternae salutis. Cum res ita se habeat, quis non videt Ecclesiam Christi perspicuam, ac visibilem esse oportere? Si Deus dum hominibus per suos Legatos, Prophetas et Apostolos, necessaria ad salutem revelavit, perspicuis ac manifestis signis divinam legationem demonstravit, ac notissimis characteribus humano generi ostendit, per illos suam doctrinam fuisse promulgatam; quis credat invisibilem esse voluisse societatem illam, cui divinum revelationis depositum custodiendum, atque ad finem usque sartum tectum servandum concedidit? Non enim minor esse debuit Dei sapientissimi providentia in proponenda sua hominibus revelatione, quam in eadem conservanda, et custodienda. Si ergo eam visibilibus et notissimis characteribus conspicuam reddidit in promulgatione, necesse est, per conspicuas atque visibiles notas eandem conservare, cum non minus tunc necessaria fuerit ad humanæ salutis consecutionem, quam deinceps futura sit. (46. Deinde tenentur omnes homines sub periculo aeternae damnationis adjungere se veræ Christi Ecclesiae, et in eadem ad finem usque vitæ perseverare. Qua vero ratione id fieri posset, nisi per certos, visibiles ac notissimos characteres, quæ vera sit Christi Ecclesia hominibus demonstraretur? (47. Dicent fortasse, invisibili divinæ gratiæ vocatione ad veram Christi Ecclesiam homines trahi. (48. At si Deus ita Ecclesiam fundavit suam, ut contentus non fuerit interna hac vocatione, sed exterius revelare necessaria ad salutem, et visibilibus signis revelationem suam demonstrare, manifestum est voluisse etiam ut visibilibus notis manifesta esset ipsius Ecclesia. Si per fidem se adjungere tenentur homines Christi Ecclesiae, fides autem sine auditu non est, et auditus sine prædicatione illius, qui a Deo missus fuerit, ut ex Apostolo constat, quis non videt, interiori non obstante vocatione, qua excitatur fides, externas quoque ac visibiles Ecclesiae notas necessarias esse, ut veræ Fidelium societati se adjungere homines possint? (49. Præterea voluit Christus, ut in hac societatem homines cooptarentur per visibilem baptismi ablutionem; ergo visibilem ac conspicuam hanc societatem esse voluit. (50. Denique ex ipsa Christi Ecclesiae constitutione id manifestum sit; nam instituta est ad modum montis, ad quem omnes gentes undequaque confluere debent, ut prædixerat Isaias cap. 2. Instituta est societas constans ex Pastoribus et Doctoribus, qui alios doceant, juxta verba Apostoli Pauli ad *Ephesios 4. Ipse dedit quosdam Apostolos, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in aedificationem Corporis Christi*. Pastores vero, Act. 20, Episcopi vocantur, quos in grege Christi posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei. Et ad Hebræos 13. præcipitur Fidelibus, ut obediant Pasto-

ribus, atque iisdem subjecti sint; Matthæi denique 18 Ecclesiae tribunal describitur, ad quod contumacium crimina deferri debeant, qui si Ecclesiam non audierint, habendi dicuntur veluti Ethnici et Publicani. (51. Quis vero non videt ex supra recitatis testibus manifestum fieri, voluisse Christum ut Ecclesiae suae societas visibilis esset, quæ constaret ex Pastoribus et Oribus, hoc est ex superioribus et subditis, mutuis invicem officiis colligatis, in eadem professione ac Sacramentorum susceptione convenientibus? (52. Accedunt demum parabolæ ipsæ, quibus Christus Dominus Ecclesiam suam designavit, Areae scilicet, Agri et Sagenæ; allegoriarum, quibus Pastores expressit, dum eos sal terræ, vel lux mundi dixit, atque ea qua significavit se supra Petrum, veluti supra firmissimam petram, Ecclesiam fundaturum. Haec enim omnia palam faciunt, Christum visibilem Ecclesiam fundasse, atque conspicuas in ea posuisse notas, per quas vera ipsius Ecclesia a falsis sectis discerneret.

(53. Præsto autem nobis sunt hujusmodi notæ, quæ sensibiles sunt, omnibus obviæ, et cognitu faciles, non solum domesticis fidei, sed etiam extraneis, ut omnes ad Ecclesiam et fidem adducantur. (54. Non posse vero notas hujusmodi stabiliri, in vera doctrina, et legitimo Sacramentorum usu, ut novatores prætendant, facile patet. Nam nullus unquam fuit haereticorum, qui veram in sua Ecclesia doctrinam esse non contenderet, ac legitimum usum suorum sacr. Ita Gnost., Ebion., Marcion., Manich., Haeretici denique omnes, ne iis quidem exceptis, qui in fundamentalibus stabilitis a Nostris Novatoribus articulis erraverint. (55. Ad alias ergo notas confugere necesse est, quæ perspicue ostendant fidelium societatem esse Ecclesiam a Christo institutam. Possemus hic in medium afferre miracula, quæ in sola Romana Ecclesia passim occurrunt ad demonstrandam veram in nonnullis hujus societatis hominibus sanctitatem, et veram, quæ in eadem viget, fidem. Nam hujusmodi miracula per Sanctorum hominum fidem contingere plerumque videmus, atque in horum canonizatione, instituto rigoroso examine, vere comprobantur. Haec sane ostendunt, Deum iisdem signis, quibus Ecclesiam a se fundatam fuisse demonstravit, ostendere eandem se peculiari providentiæ suæ cura conservare atque regere. Sed iis missis, et aliis motivis, quibus evidenter credibilis fit Catholica Ecclesia, quatuor tantum indicasse sufficiat notas, quæ in symbolo Constantinopolitano designantur, videlicet *Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam*.

(56. Porro Christi Ecclesiam unam esse, ac unam invariata consistere debere, facile patet. Voluit enim Christus, ut in Ecclesia sua *unum ovile foret, et unus Pastor*. Joannis 10. Paulus 1. ad Cor. cap. 10, omnes fideles unum mysticum Corpus efficere scribit; et ad *Ephes. 4.*, explicans qua ratione invicem uniti fideles unum Corpus efficiant, ait, *Unum Corpus* (esse scilicet debetis, licet plura membra sitis) *et unus spiritus, sicuti*